

nota

adorant ydola

adorant ydola.

can fuit in hac ciuitate secundum quod dicitur quidam rex multum diues & potens qui cum peruerterit ad mortem iussit quod supra eius tumbam deberent construi due turres una quarum esset de auro altera de argento vna uero istarum turium de pulcris lapidibus erat constructa postmodum uero coperta erat per totum auro alto per digitum unum ita quod non uidebatur in ea aliud nisi aurum altitudo ^{31r^o} cuius erat passuum decem grositudo uero secundum & c. altera uero turis de argento erat in omnibus similis isti in quantitate & statura. similiter cum campanelis & hoc ille rex fieri fecit propter sui excellentiam & eius animam. & sunt pulciores tures de mundo ad uidendum & maioris ualoris Erat enim in eius curia multa quantitas ystrionum & ioculatorum nota quod magnus tartarus non tangit aliquid alicuius defuncti uel aliquid aliud a tonitruo feriretur uel fulmine uel peste que per diuinum iudicium eueneret. nec inde aliquod percipere nul tributum. Isti de hac prouincia multos habent elephantes & grandes boues siluestres & pulcros ceruos & daynos & de omnibus maneriebus animalium in magna habundantia/

Bangala est quedam prouincia uersus meridiem quam prouinciam magnus can nondum tempore quo ego marcus paulo primitus in curia sua fui habebat eius dominio subiugata[m] Jsta prouincia regem habet & loquellam per se gentes adorant ydola & sunt in confinibus indie sunt ibi multi Eunuchi qui sunt castrati & inde barones & dominj circumstantes illi prouincie multos habent ex eis quos retinent ad suarum custodiam dominarum etiam ibi boues altitudinis elephantum set non sunt ita grossi. Jste gentes viuunt de carnibus lacte & risis. habent bombatium in magna habundantia & faciunt multa mercimonia nam ^{31v^o} habent species galanga/ çinciber/ & çucharum & de multis alijs speciebus Indi illuc ueniunt & emunt de eunuchis supradictis & sclauis/ qui inueniuntur ibi in maxima quantitate. quia omnes qui per gentes illuc capiuntur statim castrantur & post modum uenduntur. nam mercatores emunt istos eunucos & seruos. & per multa loca portant ad uendendum/

CAUÇUGU est quedam prouincia uersus leuantem que habet regem & ipsius gentes adorant ydola & loquellam per se habent. ipsi se dederunt magno can & singulis annis sibi reddunt tributum. Et rex istius prouincie ita luxuriosus quod bene trecentas retinet uxores. nam quando scit aliquam pulcram mulierem fore in patria ipsam statim accipit in uxorem in ista prouincia inuenitur aurum in maxima quantitate/ habent etiam species multas de multis maneriebus set multum distat a mari quare eorum mercimonia parum ualet. habent multos elephantes & alia diuersa genera bestiarum venationes multas habent & viuunt de carnibus lacte & risis vinum non habent de uitibus set ipsum faciunt de risis & multis speciebus simul admixtis quod est ualde bonum/. caro autem omnium illarum gentium tam marium quam seminarum taliter est depicta siue sculpta/